



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118324**

§. 143. Pax in Italia a Monacho conciliata

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)



Philippus vix a Nicolao Papa de Constantinopolitana clade edoctus, antequam iter in Germaniam fusciperet, e vestigio quatuor triremes ad Papam misit, paulo post validiora adhuc pollicitus auxilia. Nec desunt, qui Philippum voto sese adstrinxisse referant, se habita Regis Francorum Domini sui venia, & ditionibus suis in quiete constitutis, castra adversus Infideles moturum. An id omnino Religionis amore præstiterit, dubitat Æneas, quin & insinuat, quod sese Turcarum nomini adeo insensum ostenderit, sive Patrem suum ulturus, quem Turcæ olim captum multo auro vendiderant, sive populi rumores aucupandi desiderio incitatus, cui vitio, inquit Æneas, pars maxima Principum inservit. Unde idem, se haud meliorem de Francofordiensi, quam Ratisbonensi Conventu spem concipere, concludit.

## §. CXLIII.

*Pax in Italia a Monacho conciliata.*

Sub idem tempus Monachus quidam Simonetus nomine, Ordinis FF. Eremitarum S. Augustini, Vir prudentia, quam doctrina clarior, ad conciliandos tamen animos summe idoneus, eo Italos permovit, ut de mutua pace ac concordia

Sæcul. XV.  
A.C. 1454.



Secul. XV.  
A.C. 1454.

cordia agerent. Hanc ut eo certius procuraret, ultro citroque curfitabat, jam Venetos & Florentinos, jam Franciscum Sfortiam convenit, tandemque tanta verborum vi cunctos ad concordiam permovit, ut pacem inter se ad principium Aprilis stabilirent. Visum est omnibus res prodigio similis, quod Vir vitæ quidem integritate, ac prudentia probatus, obscuri tamen nominis, ignotus, omnique auxilio destitutus rem perficere potuisset, quam Pontifex ipse cum universo Senatu Apostolico frustra molitus esset.

§. CXLIV.

*Genuenses ab hac concordia exclusi.*

Igitur concordiae leges ita pactae fuere, ut ad praestitutam diem omnes convenirent, pacemque ratam haberent. Ei Alphonsus subscribere recusabat, eoquod, inquit, ille, se inscio ac non sine Regiae auctoritatis contemptu facta esset. Missi sunt itaque ad eum Legati, quos inter Cardinalis S. Crucis a Nicolao Papa decretus tanta dexteritate ac prudentia rem egit, ut pax illa, paucis quibusdam in Regis honorem mutatis, cum illo quoque in annos viginti quinque confirmata fuerit. Omnes Italiae Principes in eam concordiae sententiam ivere, si Genuenses exceperis, qui ab hisce conventis exclusi fuere.